

ad ea son sonaynem s<sup>an</sup> s<sup>an</sup> s<sup>an</sup>  
uo u<sup>o</sup> me orat s<sup>an</sup> s<sup>an</sup> s<sup>an</sup> s<sup>an</sup>  
ne or s<sup>an</sup> s<sup>an</sup> s<sup>an</sup> s<sup>an</sup> s<sup>an</sup>  
ouu o s<sup>an</sup> s<sup>an</sup> s<sup>an</sup> s<sup>an</sup> s<sup>an</sup>  
my myad moit sidoo viddi s<sup>an</sup>  
am amp myai in adx iungra uue  
mado myaynem son no s<sup>an</sup> s<sup>an</sup>  
veid s<sup>an</sup> s<sup>an</sup> s<sup>an</sup> s<sup>an</sup> s<sup>an</sup>  
my u<sup>o</sup> or s<sup>an</sup> s<sup>an</sup> s<sup>an</sup> s<sup>an</sup>  
re s<sup>an</sup> s<sup>an</sup> s<sup>an</sup> s<sup>an</sup> s<sup>an</sup>  
my u<sup>o</sup> or s<sup>an</sup> s<sup>an</sup> s<sup>an</sup> s<sup>an</sup>  
my u<sup>o</sup> or s<sup>an</sup> s<sup>an</sup> s<sup>an</sup> s<sup>an</sup>

102



17/16

9.9.18

14

Be

Theol. D. VII. 331.



14

NATALIS D. N.  
IESV CHRISTI,

CID IO XXCI.

Oda anniuersaria, & alijs car-  
minibus sacris, celebratus à

NATHANE CHYTRÆO.




Rostochij, typis Myliandrinis.

10  
STRENA.

D. ANTONIO  
WITTERSHEMIO,  
CANCELLARIO  
SCHOVEMBURGENSI, VI-  
RO DOCTRINA, ELOQVENTIA,  
DIGNITATE, ET AVCTORITATE  
CLARISSIMO, ET PATRONO  
VNICE OBSERVANDO: FELI-  
CIVM NOVI ANNI AVSPI-  
CIORVM GRATIA  
CONSECRATA

NATHANE CHYTRÆO.



IN NATALEM  
IESV CHRISTI

CID ID XXCI.

PARODIA

Ad imitationem Odæ Tertiæ libri  
quarti carminum Horatiij.



Vem tu Christe puer semel  
Electum placido lumine  
videris,

Uum non furor impius  
Euertet Sathana: non gu-  
la, non Venus

Vinclis ducet aheneis

Astrictum. neque vis hostica deuium,

Et segni sterilem fide,

Ad mundi tumidas quæ trepidet minas,

Excludet superum choro.

Sed, quam riuus aquæ leniter irrigat,

Felix par erit arbori,

Aeternum viridi germine fertili.

Cœli principis orbium

Dignata est soboles me inter amabiles

*Septi hos ponere surculos :  
 Et nunc igne minus vexor ab insito.  
 O qui fluminis hos sacri  
 Ditas sidereo numine riuulos;  
 O cordi quoque saxeo  
 Donature hilarem, si libeat, fidem:  
 Totum muneris hoc tui est,  
 Quod signor calamo principis alitum  
 Horti plantula nobilis.  
 Quod credo & cupide te celebros tuum est.*

## PRECATIO POENI- TENTIS.

**O** aeternae parens, ego seruus inutilis, excors,  
 Verbera nil praeter meritis direq; gehennae  
 Ultima supplicia, atque irati fulminis ictus,  
 En fateor culpasq; meas, lapsusq; proteruos,  
 Multiplices, turpes, aeterna morte piandos.  
 Me me qui feci accuso: mihi pectore toto  
 Displiceo, indignor, stomachor, lacrymisq; profusis  
 Obstrepero cum singultu cordisq; tremore  
 Ex animo me detestor vitamq; priorem.  
 O utinam fibras scelerum radicibus imis  
 Posses extirpare! o utinam sic viuere, totum  
 Ut tibi me, mentemq; meam, mea dicta, meum cor,  
Consilia

Consilia, affectus, atque omnia facta probarem.  
Quam volupe id mihi, quam gratū, vereq; triumphis  
Atq; opibus potius foret omnibus! attamen illud  
Hanc in sentinam immerso lernamq; malorum  
Exoptare mugis, quam unquam sperare licebit.  
Ergo tuis me vulneribus dulcissime Iesu  
Consolor: meq; inclusum latitare sub illis  
Possē pijs oro precibus gemituq; fideli.  
Tu vitæ dux ille meæ, tu rebus in arctis  
Vna salus, qui me miserum, nil tale merentem,  
Gratuita anteuenis bonitate insignis, & unus  
Me das nosse mihi, das velle & posse quod opto:  
Velle equidem promptum & cupidum parere iubenti:  
Possē autem fragile & miserum et tot lapsibus ægrum.  
Ergo cor hoc cheu vitio vitiosius ipso  
O Christe immuta, & mentem corpusq; refinge.  
Cor mihi da pectusq; nouum, studiumq; placendi  
Parendiq; tibi: semper tua gratia præsto  
Sit mihi: tu largire fidem non garrula que sit,  
Non ficta aut trepidans, sed recti operosa, tuoq;  
Confidens merito, mediaq; in morte triumphans.  
Tu vitia imminuens in me tua quæso corona  
Munera quottidie, vt multis seruire paratus,  
Inprimisq; tibi, vitæ delicta labantis  
Emendem: magis atque magis mea crimina damnem:  
Perpetuo mihi displiceam: nitarq; placere

A 3

Lingua

Lingua, animo, factisq; tibi. cane peius & angue  
Flagitia ut fugiam, non tam formidine pœnæ,  
Quam bone Christe tui, & pulcræ virtutis amore.  
Ut sic exultante fide firmatus in omnes  
Euentus, & spe intrepidus patiente laborum  
Consequar æternæ certissima dona salutis.  
Credo equidem. sed tu fidei languentis & agræ  
Scintillam faculis e cœlo ardentibus auge.

### Vanitas omnium rerum humanarum.

**Q**uod citharæ surdo, pictæ quod lumine capto  
Sunt tabulæ, aut phrygijs stragula picta no-  
Ægroto quod sunt plenis sita fercula mensis, (tis;  
Aut exquisito pocula plena mero :  
Hoc homini misero, mortisq; angore trementi,  
Sunt honor, ingenium, purpura, diuitiæ.  
Nec non falsa breuis miserandaq; gaudia vitæ,  
Structaq; marmoreis limina celsa tholis.  
O fatuos, quos tam fluxis confidere rebus,  
Et tumido cristas tollere corde iuuat!  
Quin uni potius tantum confidere Christo,  
Fallere qui nescit, sit pia cura pijs.

Piera-



Pietatis ad omnia utilis  
præstantia.

**E**st nihil apricis quod ad omnia proffit in hortis,  
Non herba, aut radix, non rosa, non viola.  
Sed neque diuitiæ, nec honos, nec fidus amicus,  
Hoc, modo quod dixi, commoditatis habent.  
Inclyta sed pietas, Paulo si credimus, una  
Vindicat hanc laudem iure colenda sibi.  
Rebus in aduersis siquidem rebusq; secundis  
Mirè hæc esse potest utilis una tibi.  
Pauperiem hæc contra, & morbos, animiq; dolores,  
Mortem hæc contra ipsam pharmaca certa dabit.  
Hæc illa ambrosia, hæc verè panacea vocanda est,  
Cui simile in toto videris orbe nihil.  
Ergo puer dilecte Deo, dilecte parenti,  
Si vitæ atque animæ stat tibi cura tuæ;  
Cætera pum discis, non unam hanc negliges, cunctis  
Quæ prior, omnigenis est medicina malis.

Dictum Isidori de lectionibus  
& precibus sacris.

**A**terno quicumque Deo vult semper adesse;  
Aut legat, aut crebras fundat ab ore preces.  
Nam simul atque preces de re quacunque ciemus;  
Adsumus inuictis colloquimurq; Deo:

*Cum vero legimus nostræ monimenta salutis ;  
Nobiscum loquitur suaviter ipse Deus.*

*Consolatio ex dicto quodam  
Augustini.*

**C***uncta licet ferro late populetur & igni  
Hesperij & Turcæ sanguinolenta manus ;  
Sint licet horribiles de religione tumultus:  
Atque extrema etiam sint metuenda pijs ;  
Tu ne cede tamen, sed contra animosior insta,  
Qui verè Christi nomen & omen habes.  
Nil adeo usque malum finit hîc contingere nobis,  
Elicere ipse bonum non queat unde Deus.*

**CHRISTVS VIA, VE-  
RITAS, ET VITA.**

**S***e solum esse viam cœli, verique perennem  
Fontem, se vitam denique Christus ait.  
Ergo cum via sit Christus; cur deuius errem ?  
Hunc unum agnoscens esse salutis iter.  
Et cum sit verax, & fallere nescius idem ;  
Diffidens illi cur dubitare velim ?  
Cum sit vita etiam, vitæq; salutifer auctor;  
Non video possim qua ratione mori.*

**Dictum**

Dictum Ecclesiastis IX.

**N**IL iuuat ad cursum leuitas, ad praelia robur.  
Non alimenta homini et victum sapientia præ-  
Sed neq; diuitias prudentia congerit amplas, (stat.  
Congestasq; auget cumulans, auctasq; tuctur.  
Non facit acceptum quemquam charumue venusti  
Oris amabilitas, & blandi gratia vultus;  
Ni Deus ipse adsit presens & cœpta secundet.

De colenda pietate ad  
seipsum & suos.

**D**VM fera finitimis pestis grassatur in oris.  
Offensi grauiter nuncia virga Dei;  
Et nullo sexus discrimine corripit omnes,  
Cum senibus pueros, cum puerisq; senes:  
Viue pie, cœliq; memor, vitæq; caduce,  
Et cole sincero corde fideq; Deum.  
Vt si forte etiam vitæ tibi terminus instet,  
Sis prompta ad summum hoc mente paratus iter

IN ICONEM PER-  
SEVERANTIÆ.

**M**olle cor incudi impositum consumitur igni,  
Forcipe candenti quod premit inuidia.  
Desuper illi ictu triplicato malleus instat,  
Ardenti tundens corda perusta face.

*Palmifera incudis molem tolerantia fortis  
Sustinet, & contra tam graue surgit onus.  
Ventilat & recreat cœlestis guttula manna  
Cor pressum, & fidens spes animosa Deo.  
Ærumnas donec clangens tuba finiat omnes,  
Donet & angelici gaudia firma chori.*

**PRECATIO PRO NOVA  
SCHOLA PVERILI, IN PRI-  
ma classium progressionē  
à puero recitata.**

**O** pater, ô cœli & terre, pontiq; profundè  
Conditor & rector, nullo variabilis æuo,  
Qui mortale genus peccati mole grauatum  
Vnigenæ sobolis crudeli morte beasti,  
Respice nos clemens, & nostris annue votis,  
Quæ tibi mœrentes, rectisq; ad sidera palmis  
Fundimus unanimes, studijs primordia nostris  
Prospera poscentes, & cepto fausta labori.  
Te sine namque nihil felici sidere cuiquam  
Conari licuit. sine te perit omnis agentis  
Nisus, & ægra parit nullos tolerantia fructus.  
Gratia sola tua est, quæ fustos addere rebus  
Successus poterit, letumq; imponere finem.

*Quando*

Quando igitur fragiles vires, vanasq; laborum  
Impensas miseri gemimus; nec robore nostro  
Confisi, quicquam sine te tentamus anbeli:  
Eia age prosper ades, sacro & spiramine mentes  
Illustra, possint ut claro lumine verum  
Cernere, quod tenebris aliàs immergitur atris.  
Pectora quin etiam flectas, ut sponte fideli  
Doctrinae parere velint, & iussa subire,  
Quae ratio dicit, quae lex tua sancta requirit:  
Imprimis pater omnipotens te pectore toto,  
Et flexis genibus pro sacra hac pube precamur,  
Ut docilem reddas, monitis quo debita praestet  
Obsequia, imprimisq; pio veneretur honore  
Te, natumq; tuum, sacri cum flaminis aura:  
Suspiciatq; suos, qua par est fronte, magistros.  
Ne ruptis legum vinculis, missoq; pudore  
In scelus omne ruat. tu nostri e corte lycaei  
Doctores, populum sacris qui pascere possint  
Eloquijs, olim vultu deprome benigno.  
Hinc tibi proueniat iuris defensor & aequi,  
Consilij cuius vrbes quandoque regantur;  
Qui pacem in terris tueatur, & alta potentum  
Fulciat imperia, & toto scelus orbe repellat.  
Educat haec medicum, qui fracti corporis artus  
Arte sua repararet, multosq; reseruet in annos.  
Educat haec alios iterum informare valentes,

Sine

sive illos pueri, siue olim Academia poscat.  
Hic velut in viridi crescant plantaria septo,  
Que quondam in cœlorum hortos translata vire-  
Ut nullo illorum flos unquam concidat æuo. (scant,  
Et quia tot vulpes vetulæ, crudiq; leones  
Vndique nos cingunt, nobisq; extrema minantur;  
Tu nobis custos vnus, tu sola piorum es  
Certa quies, nullis unquam expugnabilis armis.  
Ergo pro pueris nostris, & gente tuorum  
Excubias age, nec sacrum patiaris ouile  
Dispergi, aut teneros iugulari in ouilibus agnos.  
Quin potius tua nos pietas & cura sequatur,  
Apponatq; epulas, & sacri pabula verbi,  
Quo redeant animæ vires, eternaq; vitæ  
Gaudia, que nobis peperisti sanguine fuso  
Christe decus cœli, & nostræ spes vna salutis.  
Tu quicumque habitant in nostræ mœnibus urbis  
Fautores doctarum alacres fidiq; scholarum,  
Hos serua incolumes, saluis cum corpore rebus.  
Rectores defende pios, defende ministros.  
Rostochium vigeat diuturna pace beatum.  
Exulet hinc Eris, & pestis discordia mundi.  
Educet egregios patriæ schola publica ciues,  
Prefectosq; bonos templis, ludisq; foroq;  
Suppeditet, multis passim seruire paratos,  
Imprimisq; tibi. seros schola perstet in annos,

Presidijs

Præsidijs suffulta tuis, hominumq; fauore,  
Munificaq; manu. pereant quicumque minantur  
Interitum doctisq; viris, dociliq; iuuenta.  
Sic tibi latifono dicemus carmine grates,  
Tollemusq; tuas altum super æthera laudes.

AD IACOBVM MONA-  
VIVM, SVSANNÆ SVÆ FOE-  
minæ lectis. obitum  
lugentem.

ΠΑΡΑΜΥΘΗΤΙΚΟΝ.

VIX finitus abit completis mensibus annus,  
Cum tu, vel caros inter carissime amicos,  
Instar purpureis vestitæ vitibus ulmi  
Frondebis & folijs stabas spectabilis arbor,  
Maturi quoque mox acinis ornanda racemi.  
Iam tibi dira lues, totas ceu turbine gentes  
Quæ pridem inuasit, tam pulcra ex arbore vitem  
Tam pulcram auulsam excussit, ruptisq; flagellis  
Strauit humi. iacet illa sui velut inscia fulcri  
Decolor & pallens. tu tamquam populus arens,  
Tempore tam tristi atque alieno frondibus orba  
Pampineis, proprioq; adeo viduata decore,  
Sola pruinosos mœstè circumspicis agros.

Sis animo tamen inuictò Iacobe, doloremq;  
Ut decet hunc supera, cum sit tibi nota voluntas.

Cui

Cui sua causa subest quamuis sit cognita nulli,  
 Siderei patris : is recte facit omnia solus,  
 Et faciet semper. cum sint quoque gaudia cœli  
 Non ignota tibi ; & certæ spes altera vitæ :  
 In quam translata rursus mox deinde videbis  
 Esse tuam vitam, ridicæ nullius egentem,  
 Hærentemq; tibi, & tecum sine fine futuram,  
 Illius atque tuis, alte, radicibus horto  
 Cœlesti impactis, nulliusq; impete Cauri  
 Inde exstirpandis : horto quid latius isto ?  
 Hos tibi quæ minuat melior panacea dolores.

M E M O R I Æ  
 MATTHÆI BACMEISTE-  
 RI, D. LVCÆ V. CL. FI-  
 lioli ingeniosissimi.

**D**um pater Austriacis Lucas sacra tractat in oris,  
 Matthæum in patria mors properata rapit.  
 Insigni ingenio puerum, vultuq; venusto,  
 Nuper & inceptæ gemmam oculumq; scholæ.  
 Sit tamen hæc patri pia consolatio, mœstum  
 Cui præsagire hoc credibile est animum ;  
 Æterni patris, & Christi fraterna voluntas,  
 Qui bene constituit, qui bene cuncta facit.  
 Qui pueros etiam placidis complectitur vlnis,  
 Cœlorumq; illis regna patere docet,

Ad



*Ad quæ Matthæus fidei vi fortis anhelans,  
Iuit in amplexus Christe benigne tuos.  
His etiam in lacrymis laccriq; tumultibus orbis,  
Viuerè quis satius quam putet esse mori ?*

IANO GVLIELMO.

**V**ersibus hunc equidem cuperem donare libellum  
Iane, nisi obstaret morbida tota domus.  
Filioli tres ægrotant, decumbit & ipsa  
Gertrudis plures excruciatæ dies.  
Quis locus hic Musis? ergo mihi quæso petenti  
Hanc tam sollicito tempore da veniam.  
Atque iter inceptum, nostri non immemor, urge,  
Inq; vijs tacitas non patere esse tuas  
Pieridas. quas cautus amans, non negligè Christum,  
Verus hic est, Musæ nomina vana, Deus.

F I N I S.









154802

AB: 154802

ULB Halle 3  
003 864 588




5b.

V017







174

NATALIS D. N.  
IESV CHRISTI,  
CID IO XXCI.

Oda anniuersaria, & alijs car-  
minibus sacris, celebratus a  
NATHANE CHYTRÆO.



Rostochij, typis Myliandrinis.